

pro voluntate concedentium revocandæ. » Intelligi, dummodo precaria de rebus Ecclesiæ non sit irrationabiliter; seu in grave damnum Ecclesiæ facta: alioquin enim revocari posset, ac deberet, nedum a successore concedentis, cap. II. h. t. sed etiam ab ipsomet concedente. Engel, h. t. n. 5. et alii. Quod ut melius intelligatur:

15. *Ad concessionem precariarum requiruntur solemnitates juris.* — Quæritur IV. Utrum ad concessionem precariarum requirantur solemnitates juris, cæteroquin ad alienationem rerum ecclesiasticarum requisitæ? Resp. affirmative. Siquidem ad omnem alienationem rerum ecclesiasticarum, imo ad locationem ultra triennium requiruntur dictæ solemnitates juris, Extravag. *Ambitosæ. de Rebus. eccles. non alienand.* Atqui precariæ continent ejusmodi alienationem, similem locationi ultra triennium; eo quod per precarias concedatur ususfructus rei ecclesiasticæ immobilis ad dies vitæ, vel aliud certum tempus: ergo ad eas, si concedantur ultra triennium, prout ordinarie fieri solet, requiruntur solemnitates juris. Zoësius, h. t. Engel, n. 4.

16. *Quando conceduntur ultra triennium: alias secus.* — Secus dicendum, quando precariæ non conceduntur ultra triennium: quia tunc ad earum concessionem, ex rationabili tamen causa factam, non requiritur specialis consensus superioris; sicut nec ad locationem, cui assimilantur solummodo ad triennium concessam, juxta citatam Extravag. *Ambitosæ.* Alioquin vero, si precaria ultra triennium irrationabiliter, seu non servatis debitis solemnitatibus juris, concessæ fuerunt, revocari debent per successorem, cap. II. h. t. imo etiam per ipsummet concedentem revocari possunt, ac debent, veluti nullæ ipso jure, juxta superius tit. præced. § 3. n. 52. et 59. ac seqq.

17. *Precarium expirat per revocationem concedentis.* — Quæritur V. Quando expiret precarium, vel precaria? Resp. I. Precarium cumprimis expirat per revocationem concedentis: ut I. I. et II. ff. *de Precario.* « Est enim naturæ æquum, tandiu liberalitate mea uti, quandiu ego velim: et ut possim revocare, cum mutavero voluntatem; » prout ibidem jurisconsultus loquitur. Concordat, cap. ult. § 1. h. t. ibi: « Precarium utendum conceditur, quandiu patitur, qui concessit. »

18. *Ac moriente illo, cui concessum est: non*

*autem morte concedentis.* — Resp. II. Insuper precarium expirat moriente illo, cui concessum est: non item morte illius, qui concessit. Textus est in cit. cap. ult. h. t. ibi: « Solvitur quoque (precarium) obitu ejus cui concessum est, non etiam concedentis. » Et ratio prioris partis est; quia precarium est beneficium personale, ipsi precanti concessum: atqui « privilegium, sive beneficia, personale personam sequitur, et extinguitur cum persona, » juxta reg. 7. jur. in 6. Altera pars habetur etiam in I. *Quæsitum est.* § *Quod a Titio.* et I. *Cum precario.* § fin. h. t. ubi dicitur, quod « rogatio precarii, ad hæredem ejus, qui precario concessit, transit. » Nec immerito: nam hæres censetur eadem esse persona cum defuncto. Auth. *de Jurejurand.* § 1. collat. 5. Unde, nisi hæres precarium revocaverit, censetur hujus concessio durare: quinimo hæres, cum patitur eum, qui precario rogaverat, possidere, rursus precario concedere intelligitur, I. *In rebus.* § fin. h. t.

19. *Finitur etiam, si precario concedens rem alienaverit.* — Resp. III. Uterius finitur precarium, si istud concedens, rem precario datam alienaverit: nisi de voluntate novi domini res eadem remaneat penes illum, qui ipsam precario receperat. Ita Glossa, cap. ult. § *Solvitur.* h. t. estque decisum in cit. I. *Quæsitum est.* § *Illud.* ff. h. t.

20. *Precarium pignoris expirat soluta debita pecunia.* — Expirat etiam precarium pignoris, quando debitor pecuniam debitam solverit creditori, *Si debitor.* ff. eod. et Glossa, loc. cit. Quamvis enim nemo rem propriam precario habere, seu possidere possit, I. *In rebus.* § *Item si rem meam.* ff. h. t. Nihilominus, si debitor rem suam pignori subdiderit, potest eam creditore precario habere: sicque possidere: ita tamen, ut soluto debito cesset precarium, cit. I. *Si debitor.* ff. h. t. et notat Pirhing, eod. n. 10.

21. *Precaria in feminino accepta expirat, si elapso quinquennio non petatur revocatio ejus: et cur?* — Resp. IV. Rursus precaria in feminino accepta, expirat, quando ea fuit concessa ad longum tempus, et elapso quinquennio is, qui eam accepit, non petivit revocationem ejus. Ita Abbas, cap. 1. in fin. h. t. istud a simili probans ex can. *Longinquitates.* 12. q. 2. atque ex eo: quia etiam Vasallus non petens investituram a novo domino intra legitimum tempus, puta intra annum, cadit jure suo: idem ergo dicendum

in proposito. Nam, ut longitudine temporis non pereat memoria factæ liberalitatis, seu contractus precarium, neque res immobiles ecclesiarum lapsu temporis præscribi valeant: et auctoritas, et antiqua consuetudo, precarias de quinquennio in quinquennio revocari præcepit; ut habetur can. *Precarie de quinquennio.* 10. q. 2, et cap. I. h. t.; Pirhing, eod. n. 14.

22. *Qualis detur actio ex precariis? Spectato jure canonico, non est opus exprimere nomen actionis in libello.* — Quæritur VI. Qualis detur actio ex precariis? Ubi prænotandum, quod quidem, spectato præsertim jure canonico, non sit necesse nomen actionis exprimere in libello; sed sufficiat factum ipsum, reique veritatem clare proponere, simulque causam petendi, ipsamque conclusionem apte proponere, c. *Dilecti.* 6. *Judiciis;* etque jam dictum supra, lib. II. tit. III. *de Libelli oblatione.* n. 18. et seqq. Adhuc tamen doctores, pro meliori intelligentia, passim soleant quærere, quod proinde etiam impræsentiarum videtur observandum: Unde

23. *Ex precario in neutro, datur Actio precarii seu Interdictum de precario.* — Resp. I. Loquendo de precario in neutro, datur ex eo « Actio precarii, sive interdictum de precario, » quo illi licitum est uti, qui alteri rem suam precario concessit, ut eadem sibi restitatur, postquam revocaverit. Tunc enim incipit esse vitiosa possessio: cui proinde præcavendæ provisum est interdicto prætoris in I. II. ff. *de Precario,* illis verbis: « Ait prætor: Quod precario ab illo habes, aut dolo malo fecisti, ut desineres habere, qua de re agitur, id illi restituas. » Quanquam ibidem illico subjungatur, idque repetatur I. *Duo in solidum.* § fin. eod. quod tunc non solum interdicto uti possimus, sed et inserti actione, id est præscriptis verbis.

24. *Interdictum hoc restitutorium est.* — Interdictum hoc restitutorium est, atque rationabilem in se habet æquitatem, et precarium revocare volenti competit: ne cuiquam ipso invito, seu precarium revocante, sua liberalitate uti liceat; imo res una cum fructibus, post interdictum precarii editum perceptis sibi restitatur, I. *Quæsitum est.* § *Ex hoc.* ff. *de Precario.*

25. *Ex precaria, seu precariis in feminino, potest dici oriri Actionem precariarum.* — Resp. II. Loquendo de precaria, seu precariis in feminino, qui contractus in jure civili non reperitur, sed solis canonistis cognitus

est, operæ pretium non est multum laborare de nomine actionis, quæ ex precariis, utpote verum contractum, et pactum vestitum cum juris assistentia importantibus datur: quia, ut proxime dictum in foro ecclesiastico nomine actionum non solent specificari, sed sufficit materiam actionis, sive ipsum jus petendi clare in libello exprimere. Si tamen quis nomen actionis desideret, arbitratu Ludov. Engel, h. t. n. fin. §. *Verumtamen,* eam posse appellari *Actionem precariarum,* eo quod in jure civili actiones ex contractu regulariter assumant nomen sui contractus: ut actio precarii, commodati, locati, etc. Nam, ubi jus canonicum nihil speciale constituit, solet jus civile supplementum præstare, cap. I. et II. *de Novi operis nuntiis,* cum similibus.

## TITULUS XV.

## De Commodato.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia commodatum: valde vicinum, et simile est precario, post istud merito agitur de illo in præsentis titulo: unde sit.

## § I.

DE NATURA COMMODATI, REBUSQUE, QUÆ COMMODARI POSSUNT, ET OBLIGATIONIBUS COMMODATARIUM.

2. *Commodatum, unde sic dicatur? Commodator, et commodatarius, quis?* — Quæritur I. Quid sit commodatum, et quomodo differat a cæteris contractibus? Resp. I. Commodatum sic dicitur, « quasi utentis commodo datum: » ut inquit Glossa, cap. un. §. *Commodatum.* h. t. Porro ille, qui rem alteri commodat, dicitur « Commodans, seu Commodator, » qui vero rem sibi commodatam acquirit, *Commodatarius* appellatur.

3. *Commodatum ut contractus, quid, et quomodo differat a cæteris contractibus? Commodatum quandoque sumitur pro re commodata.* — Resp. II. Commodatum, prout accipitur pro contractu, « est alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio. » Ita Glossa, cap. un. §. *Commodatum.* h. t. et in re communis. Additur notanter, prout sumitur pro contractu: quia ut jam dictum

est, tit. præced. n. 2. Commodatum quandoque sumitur pro re commodata; quandoque vero, ac præsertim in proposito, pro contractu commodati: nam commodatum connumeratur inter contractus bonæ fidei, § *Actionum autem*. Instit. de *Actionib.* de quibus jam dictum est supra 1. tit. XXXV. de *Pactis*. § 6. n. 118. et n. 124. ac seqq.

4. *Si res comodata facta est deterior, datur actio contra commodatarium.* — Dicitur imprimis in data definitione, « alicujus rei. » Intelligi, sive ea immobilis sit, puta domus, aut stabulum: sive mobilis, præsertim quæ usu non consumitur, licet minuatur, seu alteratur; ut equus, vestis, vasa, etc. Omnia enim hæc commodari possunt, l. 1. § *Hujus*. ff. *Commodati*, vel e contra: atque amplius n. 8. et seqq. dicitur. Quanquam, si res commodata sit facta deterior, datur actio contra commodatarium ad præstandum id, quod interest commodatoris: quia, ut l. *Sed mihi*. § 2. ff. eod. dicitur: « Si reddita sit quidem res commodata sed deterior reddita, non videtur reddita, nisi quod interest, præstetur: proprie enim quæ deterior redditur. » Hæc ibi. Verum de hoc rursus dicitur infra § 3. n. 38.

5. *Commodatum debet esse gratuitum: ac per hoc differt a locatione?* — Dicitur secundo in eadem definitione, gratuito facta concessio. » In hoc, siquidem commodatum differt a locatione, emphyteusi, atque aliis hujusmodi contractibus, ubi pro concessione, seu usu cujuscumque rei certum pretium solvendum constituitur: nam res tunc proprie dicitur commodata, si nulla mercede accepta cujuscumque utenda traditur: alioquin mercede interveniente locatus usu rei videtur. « Gratuitum enim commodatum esse debet, » prout legitur, § *Item*. 15. Instit. « Quibus modis re contrahitur obligat. »

6 et 7. *Et quomodo differat a pignore et deposito, nec a mutuo, atque precario.* — Dicitur ulterius, « ad usum. » In hoc quippe commodatum differt a pignore; et deposito, quorum usus non conceditur: quia si creditor pignore, vel depositarius re deposita, domino invito utatur, furtum committit. § *Furtum autem*. Instit. de *Obligationis quæ ex dilecto*, etc. Deinde per hoc differt commodatum a mutuo, utpote in quo rei datae, seu alteri mutuatae, dominum transfertur in mutuatarium: nam « mutui datio » sic appellatur, quia « de meo tuum fuit, » juxta textum expressum in l. *Mutuum* § *Appellata*. ff. *Si certum velatur*. E contra in

commodato solus usus transfertur in commodatarium, dominio atque possessione penes commodantem remanente, *Rei commodatæ*, et seqq. h. t.

Additur vero, « ad aliquem specialem usum. » Non enim licitum est uti re commodata ad alium usum præter eum, ad quem concessa est, l. *In commodato*. § *Sicut*. ff. h. t. ibi: « Modum commodati finemque præscribere ejus est, qui beneficium tribuit. » Concordat textus in cap. un. h. t. illis verbis: « Nisi post usum expletum, cujus gratia res t. erat commodata. » Atque per hoc inter alia differt commodatum a precario; uti notat Glossa, ibid. § *Post usum*. Estque jam dictum supra tit. præced. n. 6. Ex quibus etiam patet responsio ad alteram partem propositæ quæstionis, nempe quomodo commodatum differat a cæteris contractibus.

3. *Quæ res commodari possint.* — Quæritur II. Quæ res aliis commodari possint? Resp. I. Non solum res immobiles, et mobiles (exceptis illis, quæ ipso usu consumuntur) sed etiam jura incorporalia aliis commodari possunt. Ita Glossa, cap. un. § *Commodatum*. h. t. et communis. Idque præter dicta n. 4. patet ex l. 1. et II. ff. h. t. ubi rejecta quorundam veterum opinione deciditur, quod proprie commodata res dicitur non solum, quæ mobilis est, sed etiam quæ immobilis, seu « soli est: » subjungendo, « etiam habitationem commodari posse. » Ubi Glossa § *Habitationem*. vers. *Tu dicas*, per hanc intelligit servitutem habitandi; atque asserit, « quod incorporalia commodantur. » Concordat Bartolus, in *Summario*. ibid. dicens: « Commodari potest res mobilis, » et immobilis, et incorporalis.

9. *An etiam commodari possint res, quæ ipso usu non consumuntur?* — Additur tamen, « exceptis illis, quæ ipso usu consumuntur. » Tales enim res proprie non commodantur, sed potius mutuo dantur: unde panis improprie dicitur commodari; quia postquam est comestus, non potest idem numero panis reddi, prout requiritur ad commodatum. Hinc l. *Sed mihi*. § fin. ff. h. t. dicitur: « Non potest commodari id, quod usu consumitur: nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat: » ut puta, panem, ut videatur panibus abundare, postea eundem numero panem redditurus domino suo; tunc enim is proprie commodaretur. Idemque dicendum de pecunia, et aliis hujusmodi, l. *Sæpe enim*, ff. eod.

10. *Res tam profanæ, quam sacræ commodari possunt. Dummodo res sacræ ad usus profanos non applicentur.* — Resp. II. Commodari possunt non solum res profanæ, sed etiam res sacræ, puta, ab una Ecclesia, ad aliam dummodo hæc ad usus profanos non applicentur. Ita Azorius, part. III. *Institut. moral.* lib. VII. cap. IV. de *Commodato*; Pirhing, h. t. n. 2; Sannig, eod. cap. I. n. 3. et alii. Prior pars desumitur ex cap. un. h. t. ubi agitur de commodato rerum ecclesiasticarum. Altera vero pars, seu quod res sacræ ad usus profanos applicari, seu commodari non possint, patet ex can. *Ligna de concess.* dist. 1. et reg. 51. jur. in 6. « Semel Deo dicatur, non est ad usus humanos ulterius transferendum, » cum concordantiis. Nam res sacræ Ecclesiæ applicare ad usus profanos, continet irreverentiam, et speciem sacrilegii.

11. *Quæ sint obligationes commodatarii? Non potest uti re commodata ad alium, nisi ad eum usum, ad quem est commodata; alias tenetur enim actione furti.* — Quæritur III. Quæ sint obligationes commodatarii? Resp. Esse potissimum sequentes, quas inter alias enumerat Azorius, part. III. lib. VII. de *Commodato*, cap. V. I. Commodatarius non potest uti re commodata ad alium, nisi ad eum usum, ad quem est commodata, alioquin furti tenebitur. Textus ex in l. *Si ut certo*. § *Nunc videndum*. in fin. h. t. ibi: « Quinimo et qui aliter re commodata utitur, non solum commodati, verum furti quoque tenetur, » quod ipsum repetitur ibid. § « Idemque ait. »

12. *Utens re sibi commodata ad nihil tenetur si hæc pereat absque culpa sua.* — Si quis vero utatur re sibi commodata ad eum usum, ad quem est concessa, ad nihil tenetur, etsi ea pereat, tamen absque omni culpa sua, cit. l. *Si ut certo*. § *Quod vero*. et l. ult. ff. eod. Unde si tibi commodavi equum, ut ad bellum duceres, meum erit periculum, cit. § *Nunc videndum*. vers. *Plane si*. Nam ad hoc dedi, ut inquit Glossa, ibid. § *Periculum*.

13. *Commodatarius debet restituere rem commodatam tempore constituto.* — II. Obligatio commodatarii est, quod debeat restituere rem commodatam, tempore constituto: sive id sit constitutum expresse, puta, ut restituatur expleto usu, ad quem est commodata, cit. l. *Si ut certo*. § 1. ff. h. t. et l. *De restituendis*. c. eod. cum similibus. Nam in potestate commodatoris, utpote beneficium

voluntarie, nullaque cogente necessitate tribuentis, positum est ante concessionem commodati, modum ejus finemque præscribere, quem necesse habeat commodatarius observare, l. *In commodato*. § *Sicut*. ff. h. t.

14. *Et quidem eandem rem in specie. Commodator manet dominus rei commodatæ.* — III. Commodatarius tenetur eandem rem in specie (ut loquuntur juristæ) quæ sibi commodata fuit, restituere. Siquidem per hoc commodatum differt a mutuo, ut dictum n. 6. Accedit, quod quælibet res domino suo sit restituenda: atqui commodator manet dominus rei commodatæ, l. *Rei commodatæ*. et l. *Nemo*. ff. h. t. ergo debet ipsi restitui, et quidem eadem in specie, sive (ut loquuntur) in individuo.

15. *Commodatarius tenetur rem commodatam custodire exactissima diligentia.* — IV. Commodatarius tenetur rem commodatam servare ea cura, et diligentia, qua res proprias, cit. l. *Si ut certo*. § *Nunc videndum*. ff. h. t. ubi dicitur: « Custodiam plane commodatæ rei etiam diligentem debet præstare. » Imo, quia commodatum fit in gratiam solius commodatarii, hinc ipse « exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur: nec ei sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, si alius diligentior custodire potuerit; » prout habetur expressum l. 1. § *Is quoque*. ff. de *Actionib.* et obligat.

16. *Atque reparare damna, quæ res commodata dolo, vel culpa sua; etiam levissima, passa est.* — V. Tenetur commodatarius compensare, et reparare damna, quæ res commodata dolo, vel culpa sua, passa est: ut l. *Sed mihi*. § *Si reddita*. ff. h. t. cujus verba n. 4. relata sunt, cum concordantiis passim hoc titulo occurrentibus. Quinimo, ut Glossa, in cit. l. *Si ut certo*. § *Nunc videndum*. ff. h. t. notanter inquit, « Tenetur regulariter omnis commodatarius de lata, levi et levissima culpa. » Quod ultimum ut melius intelligatur, sit:

## § II.

DE DIVISIONE CULPÆ JURIDICÆ, SEU CIVILIS: ET EX QUÀ TENEATUR COMMODATARIUS?

17. *Culpa aliter apud theologos, aliter apud juristas accipitur, et quomodo?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit culpa juridica, seu civilis? Resp. I. Culpa aliter apud theologos,

et aliter apud juristas accipitur. Ita communis; atque jam dixi in *Theologia morali*, tract. VIII. distinct. 2, n. 34, 35, et seqq. Si quidem apud theologos culpa idem est ac peccatum, sive mortale sit, sive veniale. Apud juristas autem, culpa idem est ac omissio alicujus diligentiae, unde sequitur quodpiam damnum proximo. Et potest facile contingere, quod hujusmodi culpa juridica, seu civilis sit homini involuntaria, et omni peccato coram Deo vacet: veluti, si ex naturali oblivione librum tibi commodatum in publico loco reliquisti, unde sequitur ejus amissio, culpam juridicam commisisti, quamvis coram Deo nihil peccaveris.

18. *Culpa juridica est triplex, lata, levis et levissima: et quae?* — Resp. II. Culpa juridica, seu civilis, dividitur in latam, levem, et levissimam. Ita Abbas, cap. un. n. 13. h. t. et communis. Et quidem culpa lata, est omissio ejus diligentiae et circumspeditionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent: qualis foret ostium, qui proinde perditur. Et talis culpa lata, licet dolus proprie non sit, tamen in jure æquiparatur dolo, l. I. ff. *Si mentor falsum*, etc. ibi: «Lata culpa plane dolo comparabitur,» cum concordantiis. Culpa levis est omissio ejus diligentiae et circumspeditionis, quam solent homines diligentiores illius conditionis, et artis adhibere: et talis culpa foret illius, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinqueret, ostio tamen aperto: nam homines diligentiores solent claudere januam. Culpa levissima tandem esse censetur omissio ejus diligentiae, quam diligentissimi, et prudentissimi adhibent: qualis culpa foret illius, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinquens clausit quidem ostium, sed non tentavit manu, an illud bene sit observatum: prout hasce culpas exemplificat Navarrus, cap. XVII. *Manual*. n. 178. et alii.

19. *Differt a casu, et dolo: et quomodo? Casus, et dolus quid?* — Resp. III. Culpa juridica multum differt a casu, et dolo. Nam quælibet culpa juridica, seu civilis, etiam levissima, potest caveri diligentia humana, cum sit omissio illius diligentiae, quam homines diligentes, vel saltem diligentissimi talis status et conditionis adhibere solent. Casus autem est rei inopinatae eventus, qui neque a diligentissimo prævideri, vel caveri potest: sic casu fortuito contingunt, quæ sunt, seu pereunt per bellum, latrones, ter-

ræmotum, gelu, grandinem, fulmina, et his similia. Unde l. *Contractus* § *Animalium*. ff. *de Reg. jur.* dicitur: «Animalium vero casus, mortes, quæcunque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapina, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, a nullo præstantur.» Hæc ibi. Dolus vero dicitur omnis calliditas, fallacia, et machinatio, ad circumveniendum, fallendum, et decipiendum alteri adhibita, l. I. §. *Dolum*, ff. *de Dolo malo*: ubi rejecta servi definitione, hæc dicitur vera esse definitio doli mali.

20. *Ex qua culpa teneatur commodatarius? Ubi commodatum tendit in gratiam solius recipientis, tenetur is spectando leges humanas etiam de culpa levi et levissima.* — Quæritur II. Ex qua culpa teneatur commodatarius? Resp. I. Hic opus esse multiplici distinctione: et quidem, ubi commodatum tendit in gratiam solius recipientis, tunc commodatarius non solum tenetur de dolo, et culpa lata: sed etiam, spectando leges positivas humanas, de culpa levi, imo et levissima. Ita Glossa, in cap. un. §. *De levissima*, et Abbas, ibid. n. 1. et 12. Angelus, in *Summa*. §. *Commodatum*. n. 11. et communis doctorum. Idque clare decisum est cit. cap. un. h. t. illis verbis: «Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.» Concordat jus civile, istud pariter statuens in l. *Si ut certo*. §. *Nunc videndum*. et l. *in Rebus*. §. 1. ff. h. t. et l. *Contractus*. ff. *de Reg. jur.* et l. I. §. *Is quoque*, ff. *de Actionib. et obligat.* cujus verba n. 15. relata sunt.

21. *Etsi secus sit in precario.* — Nec obstat primo, quod in precario non nisi dolus, et culpa lata præstat, text. clar. l. *Quæsitum*. §. *Enim quoque*. ff. *de Precar.* Resp. enim, disparitatem esse: quia precarium totaliter descendit ex liberalitate concedentis, atque ad libitum hujus quoquo tempore revocari potest: secus est in commodato, ut jam dictum tit. præced. n. 9.

22. *Et deposito.* — Nec obstat ulterius, quod etiam in deposito non nisi dolus, et culpa lata præstat, l. I. c. *Depositum*, ibi. «Qui depositum accepit, dolum solum, et latam culpam præstare debuit,» cum similibus. Resp. enim, disparitatem esse: quia depositum regulariter fit gratia solius deponentis, ut illud sibi secure asservetur; Commodatum vero gratia solius commodatarii, cujus necessitati atque indigentiae per rem

commodatam quis subvenire intendit. Atqui naturalis æquitas postulat, ut major adhibeatur diligentia et circumspectio in custodienda re aliena, quam quis gratis ad suam solam utilitatem accepit, quam si eam accepisset ob alterius duntaxat gratiam, et utilitatem.

23. *Et quid loquendo pro foro conscientie? Remissive.* — Additur notanter in data n. 20. conclusione, «spectando leges positivas humanas.» Quia juxta has omnimodis est procedendum et judicandum in foro externo. An autem idem sit dicendum de obligatione in foro conscientie restituendi damnum in commodato illatum ratione culpæ levis, ac etiam levissimæ, et quidem ante sententiam judicis, variant doctores: atque cum pluribus aliis sententiam negativam tenendo, dixi ex professo in *Theologia morali* cit. tract. VIII. distinct. 2, n. 41 et 47, ac seqq.

24. *Si commodatum fiat gratia utriusque, tenetur commodatarius solum dolo, et culpa lata, atque levi; non veros de levissima.* — Resp. II. Quod si commodatum fiat gratia utriusque, tam concedentis videlicet, quam commodatarii, tunc iste tenetur solum de dolo, et culpa lata, atque levi, non autem de levissima. Ita desumitur ex l. *In rebus*, § 1. juncta Glossa, §. *Æstimatio*. et Barbosa, in *Summario*. ff. h. t. ubi istud exemplificatur in casu, quo communem amicum ad cœnam invitavimus, tuque cœnam præparasti, et ego commodavi tibi vasa argentea, nam de his teneris mihi solum ex culpa lata, et levi, non autem ex levissima; prout etiam in rebus pignoratit fieri solet. Abbas cap. un., n. 12 et 14, h. t.; Angelus, §. *Commodatum*, n. 11. Pirhing, h. t. n. 6; Sanning, eod. cap. II, n. 3. et alii.

25. *Et si id fiat gratia solius commodantis, tenetur solum de dolo, et culpa lata.* — Resp. III. Si vero commodatum detur gratia solius commodantis, tunc præstat solummodo dolus, et culpa lata: non autem culpa levis, aut levissima. Ita Glossa, in cap. un. §. *De levissima*. h. t.; Abbas, ibid. n. 12; Angelus, cit. n. 11; Pirhing, ubi supra. n. 5; Sanning, n. 1. et alii. Itque patet ex l. *Si ut certo*. §. *Interdum*. ff. h. t. ubi istud exemplificatur in casu, quo quis sponsæ, ut uxori suæ commodavit ornamenta, ut honestius culta ad se deduceretur: vel, si quis ludos theatrales exhibiturus, scenicis vestes necessarias commodavit: tunc enim, quia tale commodatum fit gratia solius dantis, re commodata pereunte solus dolus, et culpa lata, utpote

dolo æquiparata, præstat; non autem culpa levis, vel levissima.

26. *Ponuntur tres regulæ generales pro omnibus contractibus, ad cognoscendum, ex qua culpa quis teneatur.* — Unde pro clariori, simulque generali hujus materiæ, seu obligationis intelligentia præ oculis habendæ sunt tres regulæ, quas doctores præallegati, aliique passim assignant, atque desumunt tum ex citatis, tum ex diversis aliis textibus utriusque juris, ac præsertim ex l. *Si ut certo*. §. *Nunc videndum*. juncto Bartolo, in *Summario*. ff. h. t. l. Regula est: In contractibus, qui celebrantur gratia dantis tantum (prout communiter fit in deposito) præstat dolus, et culpa lata tantum, arg. l. I. c. *Depositum*. et cit. §. *Nunc videndum*, cum similibus. Exceptis tamen quibusdam contractibus, nempe tutelæ, mandati, et negotiorum gestorum, in quibus ob specialem rationem etiam præstat culpa levis; ut dicitur l. *Contractus*, ff. *de Reg. jur.*

27. II. Regula est: Quando contractus fit gratia recipientis tantum (prout regulariter fit in commodato, exceptis casibus proxime enumeratis) tunc præstat non solum dolus, et culpa lata: sed etiam culpa levis, atque levissima, arg. cap. un. n. h. t. junctis dictis supra n. 20. Dummodo hinc excipiantur precarium, in quo non nisi dolus, et culpa lata præstat, ob rationem n. 21. allegatam.

28. III. Regula est: Quod si contractus fiat gratia utriusque (prout contingit in pignore, quod datur tum gratia creditoris, ut ei fiat assecuratio rei creditæ; tum gratia debitoris, ut ei sub assecuratione pignoris quidpiam mutuo concedatur) tunc præstat dolus, et culpa lata, simulque culpa levis; non autem culpa levissima, arg. cit. l. *Si ut certo*. §. *Interdum*. ff. h. t.

### § III.

DE OBLIGATIONE COMMODATarii EX CASU FORTUITO; UBI DE ACTIONIBUS COMMODATI.

29. *Commodatarius non tenetur de casu fortuito.* — Quæritur I. Utrum commodatarius teneatur de casu fortuito, quo res commodata perit? Resp. Negative: dummodo aliter non fuerit expresse conventum, neque is fuerit in mora reddendi, nec sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito. Ita Glossa, in cap. un. §. *De levissima*, et doctores. ib.